

Injuriis expositus vivebat, referente nobilissimo D. D. Praeside, stupentibus omnibus, mediocritatem inter nimium & parum, quæ temperantia est, dum non fuit observata, sed levem admisit excessum, tantas potuisse dare turbas, ut labente indies valetudine tandem vivere desierit.

A N I M A P A T H E M A T A, *iracundia, ira, spiritus humoresque agitant & incendunt, fluxionesque creberrimè deducunt. Huc etiam perturbationes insignes referuntur.*

E X C R E T A & R E T E N T A non ultimæ sunt causæ. Consueta rum enim evacuationum sive naturalium sive artificialium, venæctionis, purgationum intermissio, hæmorrhoidum, urinæ, mensium suppressio, sudores, obstructiones viscerum ad podagrum non minus faciunt. Ita etiam quibus magna sunt viscera, & quibus frequentes fuere in juventute hæmorrhagiæ narium, iis suppressis propendent in *ἀρθρίτιδην*. Laboravit quis podagrâ ex solâ V. S. intermissâ : hic cùm venam secandam curaret, illicò sanus evasit. *Wolff. Gabelcover. cent. 4. curat.*

V E N E R E M etiam his adnectimus ; hæc enim Bacchô nupta certissima podagræ Mater erit. Unde Poëtæ veteres **Po-dagrum effinxere Bacchi & Veneris filiam :**

*λυσιμελῆς Βάκχος, καὶ λυσιμελῆς ἀΦεδίτης
γεννᾶται θυγατὴρ λυσιμελῆς ποδάρηα.*

*E solvilumbo Baccho, solvilumbaque
Venere creata est solvilumba podagra.*

*Ut (enim) Venus enervat vires, sic copia vini
extenuat nervos, debilitatque pedes.*

Glossonius lib. de anatomia hepatis cap. 45. inquit : *post gaudia venoris mæstitia sequitur comes, nam seminis, quod sanguine nobilius est, exiguum dispendium plus damni infert spiritibus, quam si vigesies sanguinis sublatum fuerit. Hinc podagra quoque immoderatiorem usum sequitur, labore facta inde nervosis partibus, roscidoque nervorum liquore à pinguiore & anodynâ sui parte orbato, undè tenuior & acrisor fit, faciliorque impetu in articulos detruditur.*

Non hic audiendus est *Guainerius*, qui melius esse statuit, per decennium vitam abbreviare, quam tantâ veneris dulcedine esse orbatum. O vanam rem !